Die igitur postero mater pabulandi causa avolat. Dominus amicos, quos rogaverat, opperitur. Sol fervet et fit nihil et amici nulli adsunt. Tum ille rursum filio: 'Amici isti', inquit, 'cessatores<sup>13</sup> sunt. Proinde potius eamus et cognatos, affines vicinosque nostros oremus, ut adsint cras ad metendum!' Itidem<sup>14</sup> hoc pulli perterriti matri nuntiant. Mater hortatur, ut tum quoque<sup>15</sup> sine metu ac sine cura sint; cognatos affinesque dicit ad laborem capessendum cunctari nec statim oboedire. 'Vos modo<sup>16</sup>', inquit, 'advertite, si quid denuo dicetur!' Proxima luce orta avis in

<sup>1</sup>) vötum *Gelöbnis, Wunsch* — <sup>2</sup>) *erg.:* aliquem — <sup>3</sup>) *bis* — <sup>4</sup>) *cassita* *Ilaubenlerche* — <sup>5</sup>) *niduläri nisten* — <sup>6</sup>) *tempestivus frühreif* — <sup>7</sup>) *flävöscere gelb, reif werden* — <sup>8</sup>) *noch* — <sup>9</sup>) *involucer, cris, cre nicht flügge* — <sup>10</sup>) *um Nahrung zu suchen (Supin)* — <sup>11</sup>) *circumstrepere umzwoitschern* — <sup>12</sup>) *reicere hier: abschieben* — <sup>13</sup>) *cessätor Zauderer; Adj.: saumselig* — <sup>14</sup>) = item *ebenso* — <sup>15</sup>) *tum quoque auch jetzt noch* — <sup>16</sup>) *nur*



pastum<sup>1</sup> profecta est. Cognati et affines opera supersederunt<sup>2</sup>. Postremo igitur dominus filio: 'Valeant<sup>3</sup>', inquit, 'amici cum propinquis! Afferes prima luce falces duas; unam egomet mihi capiam et tu tibi cape alteram; et frumentum nosmet ipsi manibus nostris cras metemus.' Mater ubi id dixisse dominum ex pullis audivit: 'tempus', inquit; 'est cedendi et abeundi; fiet nunc sine dubio, quòd dominus dixit. Ipse enim, cui est res, non alius opus facit.' Atque ita cassita emigravit et seges a domino demessa est.

## Mücke und Stier

- 207 In còrnu taúri párvulús quondám culéx  
 Consédit; séque díxit, móle sí suá  
 Eúm graváret<sup>4</sup>, ávoláturum ílicó.  
 At ille: 'Néc te cónsidéntem sénseram.'

## Durchschaute Spitzbuben.

- 208 Lupus árguébat vúlpem fúrta crimíné;  
 Negábat illa se ésse cúlpae próximám.  
 Tunc iúdex ínter illos sédit símiús<sup>5</sup>.  
 Utérque caúsam cúm perórassént suám,  
 Dixísse fértur símiús sentétiám:  
 'Tu nón vidéris pérdidísse, quód petís;  
 Te crédo súbrípúisse, quód pulchré negás.'

## Der Eselstritt

- 209 Deféctus<sup>6</sup> ánnis ét desértus víribús.  
 Leo cúm iacéret spíritum éxtremúm trahéns,  
 Apér fulmíneis<sup>7</sup> spúmans<sup>8</sup> vénit déntibús  
 Et víndicávit íctu véterem iniúriám.  
 Inféstis taúrus móx cónfódít còrnibús  
 Hostíle córpus. Ásinus, út vidít ferúm  
 Impúne laédi, cálcibús frontem éxtudít.  
 At ille exspírans<sup>9</sup>: 'Fórtes índigné tulí  
 Mihi ínsultáre: té, natúrae dédecús,  
 Quòd férre cógor, cérte bís videór morí.'

<sup>1</sup>) pāstus. ūs. *Futter, Nahrung* — <sup>2</sup>) operā supersedere *sich die Mühe sparen* — <sup>3</sup>) *sie mögen mir ferne bleiben* — <sup>4</sup>) gravāre *belasten, belästigen*; *ordne*: et dixit sē āvolātūrū esse, sī eum gravāret — <sup>5</sup>) *Maskulinum zu simia*; *vgl. lupus-lupa* — <sup>6</sup>) *geschwächt* — <sup>7</sup>) *fulmineus blitzähnlich, tödlich* — <sup>8</sup>) *spūmāre schäumen* — <sup>9</sup>) *exspirāre aushauchen*

## Sagen und Tiergeschichten

## Pluton

Pluton, inferorum sive Orci deus, fingitur in solio sedens loco 210 tenebricoso<sup>1</sup>, torvo vultu, insignis sceptro et corona ex ebena<sup>2</sup>. Plutonis uxor erat Proserpina, Iovis et Cereris filia. Eam Pluto ex Sicilia rapuerat. Orcus dividitur in Tartarum, ubi improbi post mortem variis poenis cruciantur, et in campos Elysios, sedem piorum. Iudices umbrarum tres sunt: Minos, Radamanthus, Aeacus. Ad inferos umbras deducit Mercurius, Charon lintre excipit et Stygem Acherontemque, Orci flumina, transvehit. Qui in terra humati non sunt, diu ad ripam Stygis oberrant; quare veteres magnam sepulturae curam habebant. Ex flumine Lethe animae oblivionem superioris vitae bibunt. Introitum in Orcum custodit canis Cerberus, horribile monstrum, triceps et serpentibus circumvolutum. In Orco versantur etiam Furiae, quae malos homines excruciant; crinibus serpentes involutos habent et dextra facem ardentem gestant.

## Kadmus und die Schlange

In ea regione Boeotiae antiquae, in qua postea Thebae conditae 211 sunt, silva erat veterrima, quae nulla securi violabatur, a nullo intrabatur. Media in silva specus erat, totus fere densissimis virgultis obsitus, in quo ingens anguis latebat. Eius oculi igne micabant, corpus omne tumebat veneno, tres linguae in ore horribili vibrabant, triplici ordine dentes stabant.

Cadmus, filius Agenoris, regis Phoenicum, Europam sororem a Iove raptam toto orbe terrarum quaerebat et forte illam quoque regionem peragrabat. Comites eius aquam ad sacrificium necessariam ex vivo fonte petere iussi cum silvam ingressi essent, draconem ex latebris excitaverunt. Is subito e specu prosiluit et se in immensos arcus torsit et horrendum in modum sibilavit<sup>3</sup>. Terror et tremor miseros invasit; steterunt attoniti et paverunt. Alios draco uno morsu, alios mole corporis, alios afflato veneno<sup>4</sup> occidit. Interea Cadmus comites opperiebatur. Longa mora territus eos investigat. Pelle leonis indutus et iaculo et lancea armatus silvam intravit. Horrore et pavore perfusus est, cum draconem ingentem simulque caedem horribilem videret. Quocumque oculos convertit, tristia vulnera et mortem atram conspexit; belua autem supra corpora caesorum iacebat. Cadmus, metu percul-

<sup>1</sup>) tenebricosus *finster*, *grimmig* — <sup>2</sup>) ebumum *Ebenholz* — <sup>3</sup>) sibilare *zwischen* — <sup>4</sup>) afflato veneno *durch angehauchtes Gift = durch seinen Gifthauch*

sus, contremuit<sup>1</sup>; sed horror eum non diu tenuit. Ira vehementi incensus, cum se collegisset et animum erexisset, ingens saxum comprehendit et summa vi in beluam coniecit. Draco incolumis mansit. Duritia enim squamosae<sup>2</sup> cutis ictum validum reppulit. Tum ille iaculum in hostem misit, quod in spina haesit. Belua dolore efferata caput in tergum suum torsit et vulnera aspexit et hastile momordit. Cum id in omnem partem movisset et labefecisset, postremo e tergo eripuit, sed acre ferrum in ossibus remansit. Draco saevit et furit; modo se curvat et orbis immensos facit, modo sublime se erigit et rectior est quam abies gracillima. Postremo Cadmus ferrum in guttur coniecit et pressit, dum<sup>3</sup> cervices transfixae sunt.

### Herkules und die Pygmäen

- 212 Hercules cum Antaeo<sup>4</sup> victo et occiso labore fessus in agro dormiret, Pygmaei<sup>5</sup> mortem illius, qui a gruibus eos defendere solitus erat, lamentantes advolaverunt. Fortissimi eorum polliciti sunt se Herculem trucidaturos esse. Quamobrem celerrime lanam collegerunt, qua<sup>6</sup> nares et os dormienti obturarent<sup>7</sup>. At ille tanta vi spiritum ducebat, ut et lana ab ore nasoque longe avolaret et pumiliones<sup>8</sup> ipsi, tamquam procella correpti, alius super alium caderent. Deinde citissime herbas undique collegerunt apportatasque accenderunt, ut herosa igne delerent. Tum vero, adustis iam crinibus, Hercules magno calore e somno suscitatus est. Mirabundus<sup>9</sup> illud genus hominum pusillorum contemplatus unum ex eis manu prehendit et ab imis unguibus ad summum verticem aspexit. Nec tamen ille pavebat aut tremebat, sed rectis oculis<sup>10</sup> Herculem intuebatur atque etiam ad certamen provocavit. 'Aut tu', inquit, 'nobiscum confliges aut imparem nobis te esse fateberis. Utrum praefers?' Tum ridens heros negavit audere sese cum illo contendere et, amicitia facta, ipse Pygmaeos a gruibus defendit.

### Das Rätsel der Sphinx

- 213 Sphingi, monstro cuidam, caput et pectus virginis, alae avis, venter leonis, cauda draconis erant. Sedebat autem ad Thebas in alto saxo oppidanisque auctor erat maximorum malorum. Aenigma enim a Musis didicerat, quod praetereuntibus propo-

<sup>1</sup>) contremiscere *erbeben* — <sup>2</sup>) squamōsus *schuppig* — <sup>3</sup>) bis — <sup>4</sup>) Antäus, Herrscher in Libyen, war ein gewaltiger Riese, der von niemandem überwunden werden konnte, solange er die Mutter Erde berührte — <sup>5</sup>) Pygmaei, orum die Pygmäen (Fäustlinge oder Däumlinge); sie wohnten südlich von Libyen und Ägypten — <sup>6</sup>) = ut eā — <sup>7</sup>) obturāre *verstopfen* — <sup>8</sup>) pūmiliō *Zwerg* — <sup>9</sup>) voll *Berunderung* — <sup>10</sup>) rectis oculis *unverwandten Blickes*

nere solebat. Qui id solvere non potuerat, eum unguibus dilaniabat aut de saxo deiciebat, ut misere periret. Aenigma autem hoc erat: 'Quod animal est mane quadrupes, meridie bipes, vespere tripes?' Cum iam multi Thebani occisi essent, quod hoc aenigma intellegere non potuerant, magistratus edixerunt, ut, qui obscuram illam quaestionem solvisset, et rex Thebanorum crearetur et maritus Iocastae, reginae viduae, fieret.

Oedipus cum Thebas venisset, hoc animali significari hominem dixit. Haec interpretatio vera est inventa. Homo enim infans est quadrupes, quod manibus et pedibus rept; sed ubi puer exstitit, bipes est; senex denique est tripes, quod tum baculo nisus incedere solet. — Sphinx, cum ei Oedipus hunc esse hominem nuntiasset, furoris plena de saxo se praecipitavit et periit. Sed Oedipus liberator civitatis dictus et rex renuntiatus est.

### Odysseus stellt sich wahnsinnig

Agamemnon et Menelaus, Atræi filii, cum ad Troiam oppug- 214  
nandam profecturi essent, in insulam Ithacam ad Ulixem, Laërtis filium, venerunt; cui erat responsum<sup>1</sup>, si Troiam isset<sup>2</sup>, post vicesimum annum solum omnibus sociis amissis egentem domum rediturum<sup>3</sup>. Itaque cum sciret ad se oratores venturos<sup>3</sup>, insaniam simulans pileum<sup>4</sup> sumpsit et equum cum bove iunxit ad aratrum. Quem Palamedes ut vidit, sensit simulare atque Telemachum, filium eius, e cunis sublatum aratro subiecit et clamavit: 'Simulatione deposita inter coniuratos veni!' Tunc Ulixes fidem dedit se venturum<sup>3</sup>. Ex eo Palamedi infestus fuit. Postea dolo effecit, ut Palamedes tamquam parricida ab exercitu universo occideretur, quamquam innocens erat.

### Wie der verkleidete Achill sich verrät

Thetis Nereis<sup>5</sup> cum sciret Achillem filium suum, si ad Troiam 215  
expugnandam isset<sup>2</sup>, periturum<sup>3</sup>, eum in insulam Scyrum<sup>6</sup> ad Lycomedem regem misit. Quem ille inter filias suas habitu femineo<sup>7</sup> servabat, nomine mutato. Nam virgines eum Pyrrham, id est Rufam, nominarunt, quoniam capillis flavis fuit. Achivi<sup>8</sup> autem certiores facti ibi eum occultari ad regem Lycomedem oratores miserunt, qui rogarent, ut eum Danais<sup>9</sup> auxilio mitteret.

<sup>1</sup>) = ihm war das Orakel erteilt worden — <sup>2</sup>) im Deutschen 1. Vergangenh.  
— <sup>3</sup>) erg.: esse — <sup>4</sup>) pileus Filzkappe — <sup>5</sup>) Nēreīs, idis Nereide, Tochter des göttlichen Meergreises Nereus — <sup>6</sup>) Scyros Insel zwischen Euböa und Lesbos — <sup>7</sup>) femineus weiblich — <sup>8</sup>) Achivi Achiver, Griechen — <sup>9</sup>) Danaī Danaer, Griechen

Rex cum<sup>1</sup> negaret Achillem esse apud se, eis permisit, ut in regia eum quaererent. Qui cum intellegere non possent, quis esset eorum, Ulixes in regio vestibulo munera feminea posuit et praeterea clipeum hastamque adiecit; subito comites tuba canere armorumque crepitum et clamorem fieri iussit. Achilles hostem arbitrans adesse vestem muliebrem dilaniavit atque clipeum et hastam arripuit. Ex hoc cognitus est et auxilium Adivis promisit.

### Die Sibyllinischen Bücher

- 216 Anus quaedam olim Tarquinius Superbum regem adiit novem libros ferens, quos<sup>2</sup> esse dicebat divina oracula. Cum eos velle se vendere diceret, Tarquinius pretium percontatus est; mulier immensum poposcit. Rex anum, quasi desiperet, derisit. Tum illa foculum coram eo cum igne apposuit et tres libros ex novem combussit et regem interrogavit, ecquid<sup>3</sup> reliquos sex eodem pretio emere vellet. Sed Tarquinius id multo magis risit dixitque anum iam procul<sup>4</sup> dubio<sup>4</sup> delirare<sup>5</sup>. Mulier tres alios libros exussit atque denuo rogavit, ut tres reliquos eodem illo<sup>6</sup> pretio emeret. Tarquinius iam eam constantiam confidentiamque non neglegendam esse intellegit et libros tres reliquos emit non minore pretio, quam<sup>7</sup> quod erat petitum pro omnibus. Sed ea mulier tunc a Tarquinio digressa postea nusquam visa est. Libri tres in sacrarium<sup>8</sup> conditi Sibyllini sunt appellati.

Das Bild Askulaps wird nach Rom gebracht.

- 217 Cum Romanorum civitas pestilentia laboraret, missi sunt legati, ut Aesculapii simulacrum Romam ab Epidaurum<sup>9</sup> transferrent. Qui cum eo venissent et simulacrum ingens mirarentur, anguis e sedibus eius elapsus per mediam urbem cum admiratione omnium ad navem Romanam perrexit et se in principis legatorum tabernaculo conspiravit<sup>10</sup>. Imposito deinde in navem dei signo legati Antium<sup>11</sup> provecti sunt, ubi per malaciam<sup>12</sup> maris anguis proximum Aesculapii fanum petiit. Inde post paucos dies ad navem reversus, cum adverso Tiberi subveheretur<sup>13</sup>, in proximam insulam desiluit; ubi<sup>14</sup> simulacrum templum Aesculapio constitutum est, pestilentia Romae mira celeritate est sedata.

<sup>1</sup>) *obwohl* — <sup>2</sup>) quos esse dicebat *von denen sie sagte, daß sie seien* — <sup>3</sup>) *ob* — <sup>4</sup>) = sine dubio — <sup>5</sup>) *verrückt sein* — <sup>6</sup>) *idem ille eben jener* — <sup>7</sup>) *erg.:* id erat — <sup>8</sup>) *sacrarium Kapelle, Tempel* — <sup>9</sup>) *Epidaurus, Stadt in Argolis, Kultstätte Askulaps* — <sup>10</sup>) *rollte sich zusammen*; *zu spira Windung, „Spirale“* — <sup>11</sup>) *Antium, Küstenstadt in Latium* — <sup>12</sup>) *per bei, malacia Windstille* — <sup>13</sup>) *cum subveheretur als man den Tiber aufwärts fuhr* — <sup>14</sup>) *rel. Satzanschl.*

## Riesenschlangen

Africa serpentes gignit vicenorum cubitorum, nec minores 218  
 India. Ibi serpentes in tantam magnitudinem adolescunt, ut solidos hauriant cervos taurosque. Primo bello Punico ad flumen Bagradam<sup>1</sup> serpens centum viginti pedum a Regulo, imperatore Romano, ballistis<sup>2</sup> et tormentis expugnata esse fertur. Pellis eius et maxillae<sup>3</sup> diu Romae in templo quodam servatae sunt. In India serpentes perpetuo bellum cum elephantis gerunt. Ex arboribus enim in elephantos praetereuntes se praecipitant gressusque ligant nodis. Hos nodos elephantis manu<sup>4</sup> resolvunt. At dracones in ipsas elephantorum nares caput condunt spiritumque praeccludunt. Plerumque in illa dimicatione utriusque commoriuntur, cum<sup>5</sup> elephantis victi corruentes serpentes pondere suo elidant<sup>6</sup>.

## Androklus und der Löwe

In Circo Maximo venatio<sup>7</sup> amplissima populo dabatur. Ibi 219  
 praeter alia omnia leonum immanitas admirationi fuit praeterque ceteros unus. Is corporis magnitudine, terribili fremitu, toris<sup>8</sup> comisque cervicem fluctuantibus<sup>9</sup> animos oculosque omnium in sese converterat. Introductus erat inter complures ad pugnam bestiarum servus quidam viri consularis. Ei nomen Androklus erat. Hunc ille leo ubi vidit procul, repente quasi admirans stetit, deinde sensim atque placide tamquam noscens<sup>10</sup> ad hominem accedit. Tum caudam more canum adulantium clementer et blande movet hominisque sese corpori adiungit cruraque et manus prope iam exanimati metu lingua leniter demulcet<sup>11</sup>. Androklus inter illa tam atrocis ferae blandimenta animum<sup>12</sup> amissum recuperat paulatimque oculos ad leonem intuendum refert<sup>13</sup>. Tum laetos videres<sup>14</sup> hominem et leonem. Ea re tam admirabili maximi populi clamores excitati sunt arcessitusque est a Caesare Androklus et interrogatus, cur leo ille atrocissimus ei uni pepercisset.

Ibi Androklus rem admirandam narrat: 'Cum provinciam', inquit, 'Africam proconsulari imperio dominus meus obtineret, ego ibi iniquis et cottidianis eius verberibus ad fugam sum coactus et, ut mihi a domino tutores latebrae forent, in cam-

<sup>1</sup>) Der Fluß Bagrada mündet bei Karthago ins Meer — <sup>2</sup>) ballista Wurfmaschine — <sup>3</sup>) maxilla Kinnbacken, Kiefer — <sup>4</sup>) hier: Rüssel — <sup>5</sup>) indem — <sup>6</sup>) elidere austossen, zerdrücken — <sup>7</sup>) Tierkampf — <sup>8</sup>) torus Muskel — <sup>9</sup>) flüchtuäre wogen, wallen — <sup>10</sup>) wiedererkennend — <sup>11</sup>) er liebkost — <sup>12</sup>) animus Fassung — <sup>13</sup>) referre oculos die Augen wiedererheben — <sup>14</sup>) vidērēs man hätte sehen können.

porum et harenarum solitudines<sup>1</sup> recessi. Tum sole flagrante specum quendam nactus remotum latebrosumque in eum me abdo. Neque multo post ad eundem specum venit hic leo, debili<sup>2</sup> uno et cruento pede. Qui postquam in habitaculum illud suum ingressus me procul delitescentem vidit<sup>3</sup>, mitis et mansuetus accessit ac pedem sublatum ostendere mihi ac porrigere visus est. Ibi ego stirpem ingentem ex pede eius revelli saniemque<sup>4</sup> ex vulnere intimo expressi accuratiusque sine magna formidine detersi cruorem. Ille tunc pede in manibus meisposito recubuit et quievit.

Atque ex eo die triennium totum ego et leo in eodem specu eodem victu viximus. Nam quas venabatur feras, earum membra opimiora<sup>5</sup> ad specum mihi suggerebat; quae ego, ignis copiam non habens<sup>6</sup>, sole meridiano torrebam. Sed ubi me vitae illius ferinae iam pertaesum est, leone ad venandum profecto specum reliqui et viam ferme tridui permensus a militibus visus comprehensusque sum et ad dominum ex Africa Romam deductus. Is me statim rei capitalis damnandum dandumque ad bestias curavit<sup>7</sup>. Intellego autem hunc quoque leonem me tunc separato<sup>8</sup> captum gratiam mihi nunc pro beneficio et medicina referre.<sup>9</sup>

Cunctis petentibus dimissus Androclus poena solutus, leo autem ei suffragiis<sup>9</sup> populi donatus est. Postea Androclus et leo loro tenui revinctus urbe tota circum tabernas<sup>10</sup> ibant, donabatur aere Androclus, floribus spargebatur leo, omnes obvii dicebant: 'Hic est leo, hospes hominis; hic est homo, medicus leonis!'

### Aus der Geschichte

#### Lykurg, der Gesetzgeber Spartas

220 Lycurgus Spartiatis leges constituit. Plebi praecepit, ut principibus pareret, principibus, ut iuste imperarent; parsimoniam omnibus suasit. Emi singula non pecunia, sed compensatione<sup>11</sup> mercium iussit. Auri argentique usum ut omnium scelerum materiam sustulit. Administrationem rei publicae per ordines<sup>12</sup>

<sup>1</sup>) solitüdō, inis Einöde, Wüstenei; hier durch das Adj. „menschenleer“ zu übersetzen — <sup>2</sup>) debili pede = cum debilis esset pes — <sup>3</sup>) vidit me delitescentem er sah, wie ich mich versteckte — <sup>4</sup>) sanies, ei das eitrigte Blut — <sup>5</sup>) opimus fett — <sup>6</sup>) ignis copiam non habens da ich kein Feuer bekommen konnte — <sup>7</sup>) deutsch: ließ mich verurteilen... — <sup>8</sup>) me tunc separato nach meiner damaligen Entfernung — <sup>9</sup>) durch die Stimme, d. h. auf den Wunsch des Volkes — <sup>10</sup>) taberna Bude, Kaufladen; Ortsname „Zabern“ — <sup>11</sup>) compensatione Ausgleich, Austausch — <sup>12</sup>) per ordinēs nach den Ständen

divisit: regibus potestatem bellorum, magistratibus<sup>1</sup> iudicia, senatui custodiam legum, populo sublegendi<sup>2</sup> senatum vel creandi, quos vellet, magistratus potestatem permisit. Fundos omnium aequè inter omnes divisit et convivari<sup>3</sup> omnes publice iussit. Iuvenes amplius quam una veste toto anno uti vetuit. Idem<sup>4</sup> pueros puberes non in forum, sed in agrum deduci voluit, ut primos annos non in luxuria, sed in opere et in laboribus agerent. Virgines autem sine dote nubere iussit, ut uxores eligerentur, non pecuniae. Maximum honorem senum esse voluit, nec sane usquam terrarum locum honoratiorem senectus habuit.

Ut aeternitatem legibus suis daret, iureiurando cives obligavit, ne quid de legibus suis mutarent, priusquam reverteretur, et simulavit se ad oraculum Delphicum proficisci, ut consuleret, quid addendum legibus mutandumque esset. Profectus est autem in Cretam ibique perpetuum exsilium egit abique in mare ossa sua moriens iussit, ne, si relata essent Lacedaemonem, solutos se Spartiatae religione<sup>5</sup> iurisiurandi arbitrarentur.

### Solon

Post Codrum nemo Athenis regnum obtinebat. Administratio 221 rei publicae magistratibus<sup>6</sup> permissa est. Sed civitati nullae tunc leges erant, quia libido regum pro legibus fuerat. Qua ex causa Draconi mandatum est, ut leges constitueret; sed quas ille tulit, eae tam severae fuerunt, ut sanguine scriptae esse viderentur. Itaque Solon, vir iustitiae insignis, lectus est, ut alias leges ferret. Qui tanta moderatione inter plebem senatumque egit<sup>7</sup>, ut ab utrisque parem gratiam iniret. Huius viri inter multa egregia illud<sup>8</sup> memorabile fuit: Inter Athenienses et Megarenses de insula Salamine prope usque ad interitum armis dimicatum erat. Post multas clades capitale esse apud Athenienses coepit, si quis legem de vindicanda insula<sup>9</sup> tulisset. Timens igitur Solon, ne tacendo parum reipublicae consuleret, subitam dementiam simulavit. Deformis habitu more desipientium in publicum prodiit factoque concursu hominum, quo<sup>10</sup> magis consilium dissimularet, versibus insolitis populo bellum suadere coepit et omnium animos ita cepit, ut extemplo bellum adversus Megarenses decerneretur insulaque devictis hostibus Atheniensium fieret.

<sup>1</sup>) Ephoren! — <sup>2</sup>) sublegere nachwählen, ergänzen — <sup>3</sup>) convivari schmausen, essen — <sup>4</sup>) deutsch: ebenso wollte er — <sup>5</sup>) religio Verbindlichkeit — <sup>6</sup>) sie hießen Archonten — <sup>7</sup>) er vermittelte — <sup>8</sup>) folgendes — <sup>9</sup>) de vindicanda insula über die zu beanspruchende Insel = über Ansprüche auf die Insel — <sup>10</sup>) = ut eō



## Pythagoras

- 222 Pythagoras philosophus, Sami natus, itinera fecit primo in Aegyptum, mox Babylona<sup>1</sup>, ut siderum motus investigaret. Inde regressus Cretam et Lacedaemona<sup>1</sup> contendit, ut Minois et Lycurgi inclitas<sup>2</sup> eo tempore leges nosceret. Quibus rebus omnibus instructus Crotona<sup>1</sup> venit populumque in luxuriam lapsum auctoritate sua ad frugalitatem<sup>3</sup> revocavit. Pueros docebat modestiam et litterarum studium. Cum annos XX Crotone egisset, Metapontum demigravit ibique decessit; cuius tanta admiratio fuit, ut civēs ex domo eius templum facerent eumque pro deo colerent.

## Das wertvollste Geschenk

- 223 Cum Socrati discipuli pro suis quisque facultatibus multa offerrent, Aeschines, pauper auditor: 'Nihil', inquit, 'dignum te, quod dare tibi possim, invenio et hoc uno modo pauperem me esse sentio. Itaque tibi dono, quod unum habeo, me ipsum. Hoc munus, qualecumque est, aequi bonique fac<sup>4</sup> cogitaque alios. quamquam multum tibi dederunt, plus sibi reliquisse!' Cui Socrates: 'Quidni<sup>5</sup> tu', inquit, 'mihi magnum munus dederis, nisi forte<sup>6</sup> te parvi aestimas? Erit igitur mihi curae, ut te meliorem tibi reddam, quam accepi.' Vicit Aeschines hoc munere omnem juvenum opulentorum munificentiam<sup>7</sup>.

## Sokrates härtet sich ab

- 224 Socrates, ut corpus adversus ea, quae fortuito patienda essent, obfirmaret<sup>8</sup>, inter alios labores et exercitia aliquando stare solitus esse dicitur a solis ortu ad solem alterum orientem, inconnivens<sup>9</sup>, immobilis, ore atque oculis eundem in locum directis, cogitabundus<sup>10</sup>. In ipso frigore hiemis glaciem nudis pedibus calcabat<sup>11</sup>. Collecta corporis exercitationibus siti non tamen prius bibebat, quam primam e puteo haustam aquae urnam effudisset.

## Ein eifriger Schüler

- 225 Decreto Athenienses caverant<sup>12</sup>, ut, qui Megarensis<sup>13</sup> civis esset, si Athenas pedem intulisset, ea res ei homini capitalis esset.

<sup>1</sup>) griechische Endung statt -em — <sup>2</sup>) inclitus berühmt — <sup>3</sup>) frugalität Mäßigkeit — <sup>4</sup>) rem aequi bonique facere mit einer Sache zufrieden sein — <sup>5</sup>) quidni dederis warum solltest du nicht gegeben haben? — <sup>6</sup>) nisi forte es sei denn, daß; es müßte denn sein, daß — <sup>7</sup>) munificentia Freigebigkeit — <sup>8</sup>) obfirmare abhärten — <sup>9</sup>) die Augen nicht schließend — <sup>10</sup>) in Gedanken versunken — <sup>11</sup>) calcare treten, stampfen — <sup>12</sup>) cavere, ut festsetzen, bestimmen, daß — <sup>13</sup>) aus Megara: Megara, örüm

Tum Euclides Megarensis, qui ante id decretum et versari Athenis et audire Socratem consueverat, postquam id decretum cognovit, sub noctem tunica longa muliebri indutus et pallio versicolori<sup>1</sup> amictus<sup>2</sup> e domo sua Megaris Athenas ad Socratem commeabat, ut vel<sup>3</sup> noctis aliquo tempore consiliorum sermonumque eius fieret particeps, rursusque sub lucem milia passuum paulo amplius viginti eadem veste illa tectus redibat.

### Die Beredsamkeit des Perikles

Pericles cum<sup>4</sup> doctrina atque consilio excellebat tum<sup>4</sup> elo- 226  
quentia. Huius suavitate dicendi maxime hilaratae Athenae sunt, huius ubertatem et copiam<sup>5</sup> admiratae sunt, huius vim timuerunt. In labris eius veteres comici<sup>6</sup>, etiam cum illi maledicerent (quod tum Athenis fieri licebat), leporem habitasse dixerunt tantamque in eodem vim fuisse, ut in eorum animis, qui audissent, quasi aculeos quosdam relinqueret. Aristophanes vero, comicorum poetarum princeps, fulgere Periclem et tonare dixit.

### Fleiß des Demosthenes

Demosthenem aiunt solitum esse in Phalericum portum<sup>7</sup> 227  
descendere ibique ad fluctum declamare, ut fremitum maris assuesceret voce vincere. Idem, ut memoriae proditum est, coniectis in os calculis<sup>8</sup> summa voce versus multos uno spiritu<sup>9</sup> pronuntiare consuescebat, neque id<sup>10</sup> consistens in loco<sup>11</sup>, sed inambulans atque ascensu ingrediens arduo<sup>12</sup>. Surgebat ante lucem, ut invidi dicerent orationes eius olere lucernam<sup>13</sup>. Ipse dolere se aiebat, si quando opificum antelucana<sup>14</sup> victus esset industria.

### Auch du bist nur ein Mensch, Philipp!

Philippus, rex Macedonum, Athenienses et Thebanos ingenti 228  
clade affecerat. At ille eo die, quo parta est victoria, non in convivio risit, non ludos inter epulas adhibuit, non coronas aut unguenta sumpsit. Et, quantum in illo fuit, ita vicit, ut victorem nemo sentiret. Atheniensibus captivos gratis remisit et mortuorum corpora sepulturae reddidit. Adeo non insolenter se gessit, ut ex

<sup>1</sup>) versicolor bunt — <sup>2</sup>) umhüllt — <sup>3</sup>) sogar — <sup>4</sup>) cum — tum sorohl — als insbesondere — <sup>5</sup>) erg.: dicendi — <sup>6</sup>) Komiker, Verfasser von Lustspielen — <sup>7</sup>) portus Phalericus Hafen von Phaleron, zwei Stunden von Athen entfernt — <sup>8</sup>) calculus Steinchen — <sup>9</sup>) ünō spiritū mit = in einem Atemzug — <sup>10</sup>) neque id und zwar nicht — <sup>11</sup>) in locō an einem Fleck — <sup>12</sup>) ascēnsū arduō ingredi einen steilen Berg ersteigen — <sup>13</sup>) olēre aliquid riechen nach etwas — <sup>14</sup>) antelucānus vor Tagesanbruch

eo tempore ab uno e servis suis singulis diebus admoneri vellet se hominem esse. Itaque neque in publicum prodibat neque ad eum quisquam mane prius intrabat, quam famulus ei ter acclamasset: 'Philippe, homo es!'

### Alexanders Geburt

- 229 Qua nocte templum Dianae Ephesiae deflagravit, eadem constat natum esse Alexandrum, atque ubi lucere coepisset, clamitasse<sup>1</sup> magos pestem ac perniciem Asiae proxima nocte<sup>2</sup> natam esse. Prodigia magnitudinis eius in ipso ortu<sup>3</sup> nonnulla apparuere. Nam eo die, quo natus est, duae aquilae perpetuo in culmine domus patris eius sederunt, id quod omen duplicis Europae Asiaeque imperii erat. Eodem die Philippo duae nuntiatae sunt victoriae, altera belli Illyrici, altera certaminis Olympii, ad quod quadrigas miserat; quod omen infanti splendidas victorias portendit.

### Darius und Charidemus<sup>4</sup>

- 230 Darius adversus Alexandrum in Cilicia pugnaturus coegerat undique paene innumerabilem militum multitudinem. Cuius aspectu cum admodum laetus esset, spem quoque eius inflabat adulatorum turba certam de Alexandro victoriam pollicentium. Conversus tum ad Charidemum, virum belli peritum, qui Alexandro iubente Athenis expulsus ad Darium confugerat, percontari coepit, satisne ei videretur instructus ad obtinendum hostem. At ille et suae sortis et regiae superbiae oblitus libere respondit: 'Illa ex omnibus orientis partibus mota hominum multitudo, purpura, argento auroque fulgens, erit impar Macedonibus, qui paupertate magistra usi militarem disciplinam didicerunt; Macedones non decora arma, sed fortitudinem animi ad proelium afferent.' Itaque suasit, ut argentum atque aurum istud, quo eius exercitus frustra fulgebat, in militibus e gente bellicosa conducendis consumeretur.

Erat Dario natura ingenium mite ac tractabile<sup>5</sup>; sed naturam ipsam plerumque fortuna corrumpit. Itaque veritatis impatiens hospitem tunc maxime utilia suadentem ad capitale supplicium abstrahi iussit. Ille ne tum quidem libertatis oblitus: 'Habeo', inquit, 'paratum mortis meae ultorem. Expetet a te poenas mei consilii sprete ipse, contra quem tibi suasi. Tu quidem licentia regni subito mutatus documento eris posteris, quod homines, qui

<sup>1</sup>) hängt ab von constat — <sup>2</sup>) proximā nocte in der letzten (vergangenen) Nacht — <sup>3</sup>) ortus, ūs *Aufgang, Geburt* — <sup>4</sup>) Charidemus diente zuerst unter Philipp, ging dann zu den Athenern über und mußte schließlich vor Alexander flüchten — <sup>5</sup>) tractabilis nachgiebig, mild

se fortunae permiserunt, etiam naturam dediscunt.' Eum haec vociferantem ii, quibus erat imperatum, iugulant. Sera deinde paenitentia subiit regem et Charidemum vera dixisse confessus eum honeste sepeliri iussit.

### Vergleich zwischen Philipp und Alexander

Alexander et virtute et vitiis patrem superavit. Vincendi <sup>231</sup> ratio utrique<sup>1</sup> erat diversa. Pater artibus bella gerebat, filius aperta vi. Ille deceptis gaudebat hostibus, hic palam fuis. Prudentior ille consilio erat, hic animo magnificentior. Iram pater dissimulabat, plerumque etiam vincebat; hic cum exarserat, nec dilatio<sup>2</sup> ultionis nec modus ei erat. Regnare ille cum amicis volebat, hic in amicos nonnumquam regnum exercuit<sup>3</sup>. Litterarum cultus utrique<sup>1</sup> erat similis. Imperii fundamenta pater iecit, operis totius gloriam filius consummavit<sup>4</sup>.

Apte iudicat Cicero, celeberrimus ille scriptor et philosophus: 'Philippum, Macedonum regem, rerum gestarum gloria video superatum a filio; at facilitate et humanitate video superiorem fuisse.'

### Die Gallier in Delphi

Brennus cum centum et quinquaginta milibus peditum et <sup>232</sup> quindecim milibus equitum in Macedoniam irrumpit. Victo exercitu totius regionis agros depraedatur<sup>5</sup>. Tum Delphos iter vertit ad Apollinis templum spoliandum. Hoc templum positum est in monte Parnasso, in rupe undique impendente, qua ut naturali praesidio defenditur. Multa ibi et opulenta regum populorumque visuntur<sup>6</sup> munera quaeque magnificentia sua et gratam hominum voluntatem et Apollinis magnitudinem manifestant<sup>7</sup>.

Brennus cum in conspectu haberet templum, ad acuendos suorum animos praedae ubertatem militibus ostendebat statuasque, quarum ingens copia procul spectabatur, solido auro fusas esse affirmabat. Qua asseveratione<sup>8</sup> incitati simul et mero<sup>9</sup> ebrii sine respectu periculorum in bellum ruebant. Habebat Brennus lecta ex omni exercitu peditum sexaginta quinque milia; Delphorum<sup>10</sup> sociorumque nonnisi<sup>11</sup> quattuor milia militum erant. Hi plus in deo quam in viribus spei ponentes cum contemptu hostium resistebant Gallosque scandentes e summo montis ver-

<sup>1</sup>) utrique (Dat.) bei beiden — <sup>2</sup>) dilatio Aufschub — <sup>3</sup>) übte seine Befehlsgewalt auch gegen seine Freunde aus — <sup>4</sup>) consummäre vollenden — <sup>5</sup>) depraedari ausplündern — <sup>6</sup>) visere besichtigen, sehen — <sup>7</sup>) manifestäre sichtbar machen — <sup>8</sup>) asseveratio Behauptung — <sup>9</sup>) merum ungemischter Wein — <sup>10</sup>) Delphi Name der Stadt und der Bewohner — <sup>11</sup>) nur

tice partim saxis partim armis obruebant. Inter haec templorum antistites<sup>1</sup> crinibus solutis cum insignibus et infulis<sup>2</sup> in primam pugnantium aciem procurrununt eos hortantes, ne cunctentur dis ipsis ducentibus hostem caedere. Quibus vocibus incensi omnes certatim in proelium prosiliunt. Praesentiam dei statim sensere. Nam et terrae motu portio montis abrupta Gallorum stravit exercitum et tempestas insecuta grandine et frigore saucios absumpsit. Dux ipse Brennus, cum dolorem vulnerum ferre non posset, pugione vitam finivit. Alter ex ducibus cum decem milibus sauciorum citato<sup>3</sup> agmine Graecia excedit. Sed ne fugientibus quidem fortuna aequior fuit. Assidui enim imbres et gelu, nix, fames, lassitudo<sup>4</sup> miseris infelicis belli reliquias obtereabant. Quo factum est, ut brevi ex tanto exercitu nemo superesset.

Krieg mit Tarquinius und Porsenna;  
Horatius Kokles

- 233 Commovit bellum urbi Romae rex Tarquinius, qui erat expulsus, et collectis multis gentibus, ut in regnum posset restitui, dimicavit. Prima pugna Brutus consul et Aruns, Tarquini filius, alter alterum interemerunt, sed Romani ex ea pugna victores discesserunt. Brutum Romanae matronae quasi communem patrem per totum illum annum luxerunt. Secundo anno Tarquinius, ut reciperetur in regnum, Romanis iterum bellum intulit, auxilium ei ferente Porsenna, Etruscorum rege.

Porsenna cum primo impetu Ianiculum cepisset, virtute Horati Coclitis prohibitus est, ne<sup>5</sup> Tiberim transiret; is enim pro ponte sublicio stetit et aciem hostium solus sustinuit, donec pons a tergo interrumperetur, cum quo in Tiberim decidit et armatus ad suos tranavit. Ob hoc ei tantum agri publice datum est, quantum uno die circumarari potuisset. Statua quoque ei in Volcanali<sup>6</sup> posita est.

Gaius Mucius Scävola

- 234 Cum Porsenna urbem obsideret, Mucius Cordus, vir constantiae vere Romanae, senatum adiit et veniam transfugiendi petiit, necem regis repromittens. Accepta potestate in castra Porsennae venit ibique purpuratum quendam pro rege occidit. Comprehensus et ad regem pertractus dextram foculo ad sacrificium accenso

<sup>1</sup>) antistes, itis *Vorsteher* — <sup>2</sup>) infula *Wollbinde, Kopfbinde* — <sup>3</sup>) citatus *schnell* — <sup>4</sup>) lassitudō, inis *Ermüdung* — <sup>5</sup>) nē = *daß [oder Infinitiv]* — <sup>6</sup>) Volcānal, ālis *das Volkanal, ein Platz in Rom, der dem Gott Vulcānus geweiht war*

imposuit exurique passus est, hoc supplicium ab ea exigens<sup>1</sup>, quod in caede peccasset. Unde<sup>2</sup> cum misericordia regis abstraheretur, quasi beneficium referens ait trecētos adversus eum similes coniurasse. Qua re ille territus pacem cum Romanis fecit. — Tum Tarquinius Tusculum se contulit ibique privatus cum uxore consenuit.

### Der Krieg mit den Galliern

Dum Romani cum Veientibus bellum gerunt, Senones, Gallorum gens, in Italiam invaserunt et eam pervagabantur<sup>3</sup>. Cum Clusium, Etruriae urbem, obsiderent, missi sunt Roma tres Fabii, qui Gallos monerent, ut ab oppugnatione desisterent. Ex his unus contra ius gentium in aciem processit et ducem Senonum interfecit. Qua re commoti Galli postulaverunt, ut sibi legati dederentur. Quod cum negatum esset, Romam petierunt et exercitum Romanum apud Alliam fluvium conciderunt. Victores Galli urbem intraverunt, ubi nobilissimos senum in vestibulis aedium cum honorum insignibus sedentes primum ut deos venerati sunt, deinde, cum homines eos esse apparuisset, interfecerunt. Quo facto hostes urbem incenderunt. Iuventus autem cum M. Manlio in Capitolium se contulerat, ut id defenderent. Aliquando cum Galli per aversam partem Capitolii iam in summum<sup>4</sup> evasisent, Manlius clangore anserum e somno excitatus eos deiecit. Romani cum sex menses obsessi iam fame laborarent, mille pondo auri dederunt, quo pretio accepto Galli Roma recesserunt.

### Römische Rechtlichkeit

Pyrrhi bello a Romanis egregium in hostem iustitiae exemplum datum est. Cum enim Pyrrhus, Epiri rex, bellum populo Romano intulisset et de imperio certamen esset cum rege illo generosissimo ac potentissimo, perfuga ab eo in castra Fabricii consulis venit et se Pyrrhum veneno interfecturum promisit, si sibi praemium proponeretur. Hunc Fabricius reducendum ad Pyrrhum curavit<sup>5</sup>. Si specie utilitatis decipi se passus esset Fabricius, sustulisset unius perfugae opera magnum bellum et gravem populi Romani adversarium. — Hanc Fabricii magnitudinem animi admirans Pyrrhus exclamasse fertur: 'Hic est ille Fabricius, qui difficilium ab honestate quam sol a cursu suo averti potest.'

<sup>1</sup>) hoc — exigens dies als Strafe ihr auferlegend, zur Strafe dafür —  
<sup>2</sup>) rel. Satzanschl. — <sup>3</sup>) pervagari alqd. über etw. ziehen, etw. überfluten — <sup>4</sup>) summum, i die Spitze — <sup>5</sup>) curare aliquem reducendum einen zurückbringen lassen

## Antiochus und Hannibal

- 237 Antiochus, rex Syriae, Hannibali in campo copias ingentes ostendit, quas ad bellum populo Romano inferendum comparaverat. Qui etiam currus cum falcibus et elephantos cum turribus equitatumque frenis, ephippiis<sup>1</sup>, monilibus<sup>2</sup>, phaleris<sup>3</sup> praefulgentem<sup>4</sup> inducebat. Atque ibi rex Hannibalem aspicit et: 'Putasne', inquit, 'satis esse Romanis haec omnia?' Tum Poenus: 'Plane', inquit, 'satis esse credo Romanis haec omnia, etiamsi avarissimi sunt.'

## Scipio und Hannibal

- 238 P. Scipio Africanus Ephesi aliquando cum Hannibale collocutus est. Cum inter alia quaereret, quis fuisset maximus imperator, respondit Hannibal: 'Alexander, Macedonum rex, quod parva manu innumerabiles exercitus fudit quodque ultimas oras peragravit.' Quaerenti deinde, quem secundum poneret: 'Pyrrhum,' inquit, 'qui castra metari<sup>5</sup> primus docuit.' Exsequenti<sup>6</sup>, quem tertium duceret: 'Memet ipsum', inquit. Tum risit Scipio et subiecit<sup>7</sup>: 'Quidnam tu diceres, si me vicisses?' — 'Tum vero<sup>8</sup>', inquit, 'me et Alexandro et Pyrrho et omnibus aliis praestantiorem imperatorem esse dicerem.'

## Die Feige

- 239 Cato odio Carthaginiis flagrans, cum clamaret in omni senatu<sup>9</sup> Carthaginem esse delendam, attulit quodam die in curiam praecocem ex ea provincia ficum ostendensque patribus: 'Interrogo vos,' inquit, 'quando hanc ficum demptam putetis ex arbore.' Cum inter omnes recentem esse<sup>10</sup> constaret: 'Atqui abhinc tres', inquit, 'dies scitote decerptam Carthagine; tam prope a muris habemus hostem.' Statimque susceptum est Punicum tertium bellum, quo Carthago eversa est.

## Cicero an Attikus

- 240 Cicero Attico s(alutem).

Ex tuis litteris et ex re ipsa nos funditus perisse video. Te oro, ut, quibus in rebus mei tui indigebunt, nostris miseriis ne desis. Ego te, ut scribis, cito videbo: plura non scribo. Cura, ut valeas!

<sup>1</sup>) ephippium *Reitdecke, Sattel* — <sup>2</sup>) monile, is *n. Halsband* — <sup>3</sup>) phalerae, arum *Brustschmuck* — <sup>4</sup>) praefulgere *schimmern, glänzen* — <sup>5</sup>) metari *abstecken, aufschlagen* — <sup>6</sup>) exsequenti *dem Weiterfragenden = als er weiter fragte* — <sup>7</sup>) subicere *unterwerfen; einwerfen* — <sup>8</sup>) tum vero *dann fürwahr, ja dann* — <sup>9</sup>) senatus *Senatssitzung* — <sup>10</sup>) erg: *cam.*

## Die Ermordung Ciceros

Cicero iam expers publicarum curarum et toto animo in 241 litterarum studiis defixus in Tusculano<sup>1</sup> suo delitescerebat, cum se inter proscriptos relatum<sup>2</sup> esse audiret. Quo nuntio primum quidem eius animus adeo percussus est, ut inops consilii modo huc modo illuc fugere tentaret. Deinde cum paululum se recepisset eius animus, navem, qua in Macedoniam veheretur, conscendit. Sed cum subiret eum cogitatio se honestius in patria vitam depositurum esse, nave ad Caietam<sup>3</sup> appulsa in villam suam Formianam<sup>4</sup> se contulit. Ibi placide aliquamdiu dormientem servi, qui procul manum militum dominum exquirentium conspexerant, e somno excitabant, eumque partim vi partim precibus in lectica collocatum, ut vitae periculo eriperent, ad litus versus portabant. Sed in media via a militibus Antonii oppressi sunt.

Cicero cum intellexeret se periculum effugere non posse, lecticam deponi iussit. Mox conspecto Popilio Laenate<sup>5</sup>, horum militum duce, novam salutis spem concepit animo. Hunc enim, quem aliquando in causa capitali a supplicio liberaverat, vix tam inhumanum fore existimabat, ut ei vitam sustineret eripere, cui suam debebat<sup>6</sup>. Sed ille veteris beneficii immemor caput et manum dextram Ciceroni vel ipse detruncavit<sup>7</sup> vel milites detruncare iussit detruncataque, ut perpetratae caedis mercedem acciperet, Romam ad Antonium deportavit. Tum Antonii uxor, Fulvia, ira et furore abrepta, summi oratoris linguam acu perfodit. Antonius autem Ciceronis caput atque manum tamquam tropaeum<sup>8</sup> aliquod publice in rostris conspectui hominum exponi iussit.

## Augustus bestraft einen Freund

Quis non oderat Vedium Pollionem<sup>9</sup>, quod muraenas<sup>10</sup> sanguine humano saginaret et servos, si quid deliquerant, in vivarium<sup>11</sup> abici iuberet? O hominem mille mortibus dignum! Cum aliquando apud eum cenaret Augustus, fregit unus ex servis vas crystallinum<sup>12</sup>. Rapi illum protinus Vedius iussit et,

<sup>1</sup>) Tusculanum *Landgut Ciceros bei Tuskulum, einem Städtchen nördlich von Rom* — <sup>2</sup>) referre aliquem inter proscriptos *jemand auf die Liste der Geächteten setzen* — <sup>3</sup>) Caieta, ae *Hafenstadt in Latium, heute Gaeta* — <sup>4</sup>) villa Formiana *Landsitz Ciceros bei Formia, einer Stadt in der Nähe Gaetas* — <sup>5</sup>) Popilius Laenas — <sup>6</sup>) debere *verdanken* — <sup>7</sup>) detruncare *abhauen* — <sup>8</sup>) tropaeum *Siegeszeichen* — <sup>9</sup>) Vedius Pollio *römischer Ritter, Freund des Augustus* — <sup>10</sup>) muraena *Muräne, ein beliebter Seefisch* — <sup>11</sup>) vivarium *Tierpark, Fischteich; vgl. „Aquarium, Terrarium, Herbarium“* — <sup>12</sup>) crystallinum *aus Kristall: crystallus Bergkristall*



ne vulgari morte periret, obici muraenis, quas ingens piscina continebat. Evasit e manibus puer et confugit ad Caesaris pedes, ne esca piscium fieret. Motus est novitate crudelitatis Caesar iussitque servum dimitti, crystallina autem vasa omnia coram se frangi et compleri piscinam. Fuit Caesari sic castigandus amicus: bene usus est potestate sua.

### Kluger Rat der Kaiserin Livia

243 . Ad Caesarem Augustum delatum est L. Cinna insidias ei struere. Dictum est et ubi et quando et quibus consciis et quemadmodum aggredi vellet. His auditis Augustus concilium amicorum in posterum diem advocari iussit: illi interim inquieta nox fuit. Gemens subinde voces emittebat varias et inter se contrarias: 'Quid? Ego percussorem meum securum ambulare patiar<sup>1)</sup>? Ergo non dabit poenas, qui tot civilibus bellis frustra petitum caput, tot navalibus et tot pedestribus proeliis incolome immolare ad aras constituit, postquam pax terra marique parta est?' Rursus<sup>2)</sup>, silentio interposito, sibi magis quam Cinnae iratus seque ipse compellans: 'Quid vivis,' inquit, 'si perire te tam multorum interest? Quis finis erit suppliciorum? quis sanguinis? Ego sum nobilibus adolescentulis expositum caput, in quod mucrones acuunt<sup>3)</sup>. Non<sup>4)</sup> est<sup>4)</sup> tanti<sup>4)</sup> vita, si, ne ego peream, tam multi perendi sunt.' Interpellavit tandem illum Livia uxor et: 'Admittis,' inquit, 'muliebre consilium? Fac, quod medici solent<sup>5)</sup>, qui, ubi usitata remedia non procedunt, tentant contraria. Severitate nihil adhuc profecisti; nunc tenta, quomodo tibi cedat clementia! Ignosce L. Cinnae! Deprehensus est: iam nocere tibi non potest; prodesse famae tuae potest.'

✓ Bene suadere visa est Livia; gratias ei egit Augustus. Cinna ad se accersivit dimissisque omnibus e cubiculo delatum ad se indicium exposuit, adiecit locum, socios, diem, ordinem insidiarum: et cum sua in eum beneficia commemorasset, pro quibus ille infandam caedem paraverat, his verbis desiit: 'Vitam tibi, Cinna, iterum do, prius hosti<sup>6)</sup>, cum te in hostium meorum castris invenerim, nunc insidiatori et parricidae. Ex hodierno die inter nos amicitia incipiat: et quam libenter ego tibi vitam do, tam libenter tu mihi eam debeas.' Post haec detulit ei ultro consulatum questus, quod non auderet petere; amicissimum fidelissimumque habuit; heres illi solus fuit; et nullis amplius

<sup>1)</sup> ich soll dulden, lassen — <sup>2)</sup> hier: dagegen, andererseits, umgekehrt — <sup>3)</sup> deutsch: an dem sie ihre Dolche schleifen können — <sup>4)</sup> es lohnt sich nicht — <sup>5)</sup> erg.: facere — <sup>6)</sup> Cinna stand früher auf seiten der Cäsarmörder

insidiis ab ullo petitus est, id clementiae beneficio consecutus, quod antea severitate frustra quaesiverat.

### Augustus über sich selbst<sup>1</sup>

Qui parentem meum necaverunt, eos in exsilium expuli 244 iudicii legitimis ultus eorum facinus. Et postea bellum inferentes rei publicae vici bis acie.

Bella terra et mari civilia externaque toto orbe terrarum saepe gessi victorque omnibus veniam petentibus civibus peperci. Externas gentes, quibus tuto ignosci potuit, conservare quam excidere malui. Milia civium Romanorum sub sacramento meo fuerunt circiter quingenta. Ex quibus deduxi in colonias<sup>2</sup> aut remisi in municipia sua stipendiis emeritis milia aliquanto plura quam trecenta et iis omnibus agros assignavi aut pecuniam pro praemiis militiae dedi. Naves cepi sescentos praeter eas, si quae minores quam triremes fuerunt.

Capitolium et Pompeium theatrum utrumque opus impensa<sup>3</sup> grandi refeci sine ulla inscriptione nominis mei. Rivos aquarum<sup>4</sup> compluribus locis vetustate labentes refeci et aquam, quae Marcia appellatur, duplicavi fonte novo in rivum eius immisso.

Ter munus gladiatorium<sup>5</sup> dedi meo nomine et quinquies filiorum meorum aut nepotum nomine; quibus muneribus pugnaverunt hominum circiter decem milia. Bis athletarum undique accitorum spectaculum populo praebui meo nomine et tertium nepotis mei nomine. Ludos feci meo nomine quater, aliorum autem magistratum vicem<sup>6</sup> ter et vicies. Venationes bestiarum Africanarum meo nomine aut filiorum meorum et nepotum in circo aut in foro aut in amphitheatris populo dedi sexies et vicies, quibus confecta<sup>7</sup> sunt bestiarum circiter tria milia et quingentae.

Mare pacavi<sup>8</sup> a praedonibus. Eo bello servorum, qui fugerant a dominis suis et arma contra rem publicam ceperant, triginta fere milia capta dominis ad supplicium sumendum tradidi. Iuravit in mea verba tota Italia sponte sua et me belli, quo vici ad Actium, ducem depoposcit. Iuraverunt in eadem verba provinciae Galliae, Hispaniae, Africa, Sicilia, Sardinia. Qui sub signis meis

<sup>1</sup>) aus dem Monumentum Ancyranum — <sup>2</sup>) deducere in coloniās in Kolonien ansiedeln — <sup>3</sup>) impensa, ac Auslagen, Kosten — <sup>4</sup>) rivos aquarum Wasserkanal, Wasserleitung — <sup>5</sup>) munus gladiatorium Gladiatorenspiele — <sup>6</sup>) an Stelle von (Gen.) — <sup>7</sup>) conficere hier = interficere erlegen — <sup>8</sup>) pacare befrieden; hic = liberare

tum militaverint, fuerunt senatores plures quam DCC; in iis, qui vel antea vel postea consules facti sunt ad eum diem, quo scripta sunt haec, LXXXIII, sacerdotes circiter CLXX.

